eo ſacrificia, vel tymiamatum fumum popoſcit, ſed ſatis habuit legem irrogare, qua imperavit, ut abſtineret. Omne religionis arcanum in præcepti hujus obſervatione conſtituit, atque ut verbo me expediam, totam legem in hoc poſuit, ne fructu arboris, quæ erat in terreſtri Paradiſo, veſceretur. Hoc ſane parum eſt, ac facile obſervandum; verum homo quid? Præceptum fregit, ejuſque gula fuit malorum omnium illi principium. Intemperantia, heu! quam caro nobis ſtas pretio, quandoquidem voluit Deus, illa a rebellis hujus parentis filiis reparari! Hoc etiam omni tempore contigit, ſi enim prima uſque repetere lubeat ſæcula, videbimus, antediluvianis temporibus homines ab eſu carnium abſtinuiſſe; poſtdiluvianis vero animantium cruore; & in lege Moyſis, Aaronem, & ſummos Sacerdotes, pœna mortis propoſita auſos non fuiſſe vinum delibare. Rechabitæ quia ab eodem abſtinuere, bonis cumulantur, & populus Iſrael propter intemperantiam in deſerto malis obruitur. *Ex manuſcripto Sermone.*

Ninivitarum jejunium. Aſſyriæ Rex, qui infamis fuiſſe creditur Sardanapalus poſt terribiles minas, quas Dei nomine illi Propheta intentaverat, de ſolio deſcendit, regium exuit paludamentum, ut cilicio indueretur; jejunare cœpit, edictumque generale pronunciavit, quo ipſi etiam lactentes pueri, immo bruta quoque animantia jejunare jubebantur, ut Dei flecteretur ira, quæ Ninivitis terribile minitabatur excidium, & ut ſanctus, ut ita dicam, conſcriberetur exercitus, quem iræ Domini opponeret. Neque ipſum ſua fefellit ſententia: hominum pœnitentia protulit pœnitentiam Dei; & pœnitentia mutantium mores mutavit immutabilem. Illud vero magis notandum eſt, ex jejunio hanc poteſtatem, has vires pœnitentiæ acceſſiſſe. O jejunium, quod tot animas morti devotas ſervaſti! Jejunium, quod Deum exercituum exarmaſti, quod fulminum illius ignem extinxiſti, & civitatem, quæ futura erat horribilis ultionis theatrum in divinæ Miſericordiæ trophæum admirabile convertiſti? Quinam pœnitens poſt hoc exemplum ad te non confugiet, tamquam ad aſylum tutiſſimum? Cui poſt hæc videri potes vel novum, vel nimis auſterum, niſi illis, qui ſuum amant interitum, vel qui illum evitare detrectant? Divina juſtitia jam nobis bellum indixit; non procul abeſſe poteſt excidium. Ubinam contra omnipotentem ſuppetias invenire poterimus? In nobis ſane per voluntarium jejunium. Torqueamus viſcera noſtra pœnitenti fame, & certi ſimus, futurum ut vox eorum ad Dei uſque thronum aſcendat non ſecus ac vox Ninivitarum, ad peccatorum noſtrorum veniam obtinendam, & jacula de manibus illius deturbanda. *Godeau in Tabulis Pœnitentiæ Ninivitarum.*

Conſtantinopolitanorum civium fervor in Quadrageſimæ obſervatione. Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria Byzantii Juſtiniano imperante factum accidiſſe, quod egregii profecto inſtar exempli eſſe poteſt. Cum civitas illa maxima laboraret fame, atque jamjam Quadrageſimæ tempus adeſſet, antequam terribile hoc flagellum detonuiſſet, juſſit imperator, lanionum officinas ubique patentes eſſe, atque palam promulgari generalem ab ſancti hujus temporis abſtinentia diſpenſationem. At quomodonam arbitramini exceptum fuiſſe edictum hoc adeo juſtum, & neceſſarium? O ſæculum felix! O Superi, reſtatne adhuc vel una antiqui hujus fervoris ſcintilla? Credetiſne, fideles, in tanta urbe, in adeo luctuoſa, urgentique neceſſitate, ne unum quidem, (videte, quid dicam) ne unum quidem inventum fuiſſe Chriſtianum, qui collata ſibi gratia uti voluerit? At nondum ſatis: vix diſpenſationis edictum prolatum fuerat, cum undequaque ad regias ædes concurſum eſt, atque enixius, obortiſque lacrymis flagitatum, ut placeret Cæſari antiquare recens illud edictum, & præcipere, ut antiqua inſtituta ſervarentur, quoniam fame potius interire cupiebant, quam veteres leges infringere. Nonne diceres hic agi de aris viventis Dei; quaſi Princeps bono huic populo ex corde Religionem vellet divellere? *P. de la Colombiere, Sermone de jejunio, & abſtinentia.*

De prætextibus qui afferuntur, ne jejunetur. Cur mihi non ſupereſt tantum temporis, quantum ſatis eſt ad pleroſque Fideles confundendos, eiſque detegendam tot prætextuum fallaciam, quibus abutuntur, ut ſe a jejunio diſpenſent? Quænam indignandi cum Propheta nobis occurrit cauſa, videntibus temere, & audacter illud infringi præceptum, cujus prævaricatio, niſi legitima adſit ratio, peccatum eſt, quod ex unanimi Doctorum omnium conſenſione damnationem meretur! O mortales abdomini nati, non timetis veſtræ valetudini officere vigiliis, & immodicis comeſſationibus; & putatis incommoda, quorum cauſæ veſtra extitere flagitia, validas rationes futuras ad Quadrageſimæ prævaricationem probandam? Mulieres, arbitramini futurum ut Deus rationem habeat affectatæ hujus molitiei, quam corporum veſtrorum cæcus amor inſpirat; ut ab ea lege ſolvamini, quæ non pro vobis minus, quam pro viris eſt lata? Eſther fidelis fuit legi Dei ſui in ipſa aula Aſſueri, neque vetitarum epularum uſu fœdari paſſa eſt; attamen iis omnibus prælata fuit, quæ ad tantum regni honorem contendebant. Daniel, Sodaleſque illius leguminibus enutriti in oculis Nabuchodonoſor venuſtiores, formoſioreſque viſi ſunt, quam alii adoleſcentuli exquiſitiſſimis dapibus ſaginati. Simeonis Stylitæ, Pauli, Antonii, atque tot alii Anachoretæ, qui in ſpeluncis, deſertiſque ſuis radicibus tantum veſcebantur ad extremum uſque ſenium pervenerunt; vos autem, ut jejunium, vel potius imaginatio veſtra efficit, ut alio affici videamini incommodo, mortem imminere arbitramini? Serio mortem hanc meditamini; vobiſmet exhibere corpus hoc, quod tantopere colitis, vermibus, taboque diffluens; & jejunii obligatio vobis non videbitur ultra tantum auſtera. Mortem hanc meditamini, o divites ſæculi, qui in conviviis veſtris terræ, mariſque divitias congeritis; qui ad menſas inſtruendas omnia exhauritis ejus ſcientiæ arcana, quæ excogitata fuit, ut alliceret guſtum, & palparet gulam, quam mortificandam vobis Religio præſcribit. Inter tot fercula, & pocula, quæ abundant, atque ſuperfluunt, mementote venturum aliquando diem, quo ne unam quidem obtinere poteritis aquæ guttam, quæ ſoletur ſitim, qua in inferis cum malo divite, (cujus tanta eſt fama in Evangelio) conficiemini; & præceptum jejunii, quod pauperibus tantum irrogatum videtur, non adeo auſterum vobis videbitur. *Eſſais de Sermone, pro Dominicis, Dominica prima Quadrageſimæ.*

IGNORANTIA.

Ignorantia earum rerum, quæ ad Deum, & ſalutem noſtram pertinent. Ignorantia affectata, & voluntaria. Ignorantia invincibilis &c.

MONITUM.

MAgna illa relatio, quæ inter ignorantiam, & mentis cæcitatem intercedit, aliquem fortaſſe in eam mentem impellere poſſet, ut duos hoſce titulos ſimul conjungendos, atque ſub uno capite pertractandos fuiſſe arbitretur; ſed præter diſcrimen illud, quod ſemper cauſam inter, effectumque invenitur, ex iis, quæ iſtic aguntur, & ex malis, quæ utrinque oboriuntur, facile intelliget hæc non eſſe unum, & idem; quod tamen non prohibet, quominus alterum alteri ferat opem in iis, quæ ſunt utrique communia.

Eo in argumento, de quo hic loquimur, agimus præſertim de voluntaria ignorantia officiorum Religionis, ſtatuſque noſtri; de negligentia iiſdem imbuendi; de variis ignorantiæ ſpeciebus, quæ nos coram Deo inexcu-

ſabiles præbent; de peccatis omiſſionis, quæ per adſectatam ignorantiam patrantur, deque periculo, quod hoc pacto ſubimus intereundi præter mentem; ac tandem de ea neceſſitate, qua curare debemus, ut edoceamur, alioquin rationem reddituri criminum omnium, in quæ ceciderimus.

Animadvertendum dumtaxat eſt, quemadmodum hujus argumenti ſermo didaſcalicus eſſe debet, ita plurima ex Ethicorum, atque Theologorum penu huc eſſe afferenda, quin tamen aliquid ſtatuatur, antequam ſolida, atque non labefactanda jacta fuerint principia. Tale illud eſt, quod Sanctus Auguſtinus conſtituit, vitio nobis verti non poſſe, quod inviti ignoramus, & quod noſſe in poteſtate noſtra non fuit. Et alterum illud: Voluntariam, & adſectatam inſcitiam, vel quæ inde orta eſt, quia edoceri negligimus, non ſolum non excuſare, ſed ut plurimum nocentiores efficere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. UBi primum oſtenderis, inſcitiam cum qua naſcimur, juſtam eſſe pœnam peccati primorum parentum, qui in boni, malique ſcientia Deo ſimiles eſſe voluerunt, pro concionis argumento deſumere poteris: 1. Officiorum noſtrorum ignorantiam, ſeu de Religione, ſeu de ſtatus noſtri muneribus agatur, nunc inexcuſabilem eſſe in Chriſtiano rationis uſum habente, cui tot ſuppetunt viæ, atque ſubſidia ſeſe erudiendi. 2. Malum, quod in Religione, & Republica hæc gignit inſcitia.

Pars prima. Incipere poſſumus dicendo quantumvis magna ſit ignorantia, quæ primum eſt vulnus, quod originale peccatum homini intulerit; Deum tamen in anima illius quemdam intelligentiæ ſuæ radium impreſſiſſe, lumenque ſatis fulgens, quod illi ipſius officia detegeret; eique bonum, & malum oſtenderet, rationis tantum, atque conſcientiæ magiſterio: itaut omnes homines licet inter Ethnici erroris tenebras educati, inexcuſabiles ſint, Sanctus Paulus ait, atque juſtis afficiendi ſint pœnis, eo quod huic naturali legi nequaquam obtemperaverint, quin prætexere valeant cauſam ignorantiæ officiorum ſuorum. At haud hæſitanter affirmari poteſt, hominum omnium nocentiſſimos eſſe Chriſtianos, qui moribus, vivendique ratione oſtendunt ſe prima ſuæ Religionis principia, atque maxime neceſſaria ſui ſtatus officia ignorare. 1. Ignorantia officiorum Religionis ſuæ criminoſa, & inexcuſabilis eſt; chriſtianas enim veritates nemo unus ignorat: explanantur, atque docentur de ſuggeſtu a Concionatoribus; rudibus etiam, agreſtibuſque hominibus in pagis, agriſque annunciantur; pueris ab ineunte ætate, & a teneris uſque unguiculis traduntur; Sed hæc fortaſſe cauſa eſt ignorantiæ eorum, qui ſunt provectiores ætate, qui memoriæ mandarunt religionis veritates eo tempore, quo per ætatem ad eaſdem animum advertere, earumque pondus meditari non poterant; & qui cum deinde non ſatis illas perpenderint, atque animo penetrarint, vivunt quaſi illas omnino ignorarent, vel ſatis eſſe putant eas theoretice tantum noſſe, quin unquam exerceant. Hinc fit, ut ſæpe qui majori in cæteris rebus mentis acumine pollent, atque doctiſſimi habentur, in ſalutis ſuæ ſcientia, quæ nonniſi ex praxi earum veritatum, quas Religio docet, acquiritur, rudes, & plane hoſpites inveniantur. Hic latus aperitur campus deſcriptioni ſtatus deplorabilis, ad quem hæc ignorantia Chriſtianiſmum redegit, cum pauciſſimi vitam ſuam ſecundum chriſtianas veritates inſtituant, quaſi hæ illis eſſent prorſus ignotæ, & abſconditæ. Hæc ſcientia, & harum veritatum cognitio in Bibliis ſapientiæ nomine appellatur; ſed cum pauciſſimi ſublimibus hiſce luminibus regantur, quæri poſſet cum S. Job; *Sapientia ubi invenitur?* Et profecto ſi omnes hominum ſtatus percurrere velimus, inveniunturne inter homines negotioſos in id unice intentos, ut ſuam provehant fortunam? Inter viros principes, auctoritate, ac genere inſignes? Heu! nihil ibi niſi ambitio eſt; nomen, honorem, auctoritatem ſuam adhibent, ut ſibi metum, & reverentiam concilient; quin Deum timeant, & ſub potenti manu illius ſeſe humilient, in quo vera ſapientia conſiſtit. *Sapientia ubi invenitur?* Numquid inter litteratos viros multivaga eruditione præditos? At ſæpe hi præ cæteris rudes, & hoſpites ſunt in ea, de qua loquimur, ſcientia. Scientia ſua illos inflat; neque aliud eſt niſi ſuperbia, vanitas, oſtentatio: hæc omnia Evangelicæ opponuntur ſapientiæ; ignari ſunt evaneſcentes in cogitationibus ſuis. Numquid inter homines e populo, qui manuum ſuarum laboribus ſibi comparant victum? Hi profecto præ cæteris aptiſſimi habentur ad ſcientiam hanc exercendam; ſed ut plurimum illam minus callent, & id fere unum cogitant, quomodo in hoc mundo vivant, quin vitam cogitent æternam, quam laboribus ſuis poſſent acquirere &c.

Pars altera. Aperta inductione oſtendendum eſt, 1. malum quod parit ignorantia negligenti doctrinam officiorum Religionis, ac ſtatus ſui. 2. quod adfert rei publicæ. 3. Perturbationem, quam in familiis ciet. Primum autem ſi malum ſpectemus, quod ſingulis adfert, hæc eſt plerorumque peccatorum, quæ patrantur, cauſa, præſertim vero peccatorum omiſſionis, quæ ſunt maxime familiaria, ubi ſemper voluntaria, & adfectata ignorantia immiſcetur; ſive id per negligentiam accidat, ſive per improbitatem. In Religionis officiis, exempli gratia, qui dies feſtos non colit, jejunium non ſervat, neque aliis Dei, vel Eccleſiæ præceptis obtemperat, nequit prætexere ignorantiam, quæ fere numquam eſſe poteſt invincibilis. Secundo in rebus publicis; quam enim injuſtitiam committeret Judex, qui rudis eſt legum, & juris, & qui de facto aliqua cognoſcere negligit? Quot cædium reus eſt Medicus imperitus, ac rudis hujus artis hominibus adeo neceſſariæ? Homo negotiis impeditus, qui neſcit, quid ſibi leges, & conſcientia permittant &c. Inferenda eſt denique naturalis, & inevitabilis neceſſitas, qua ſinguli officia ſua tenentur cognoſcere.

De munere docendi, erudiendique ignaros ſeu II.
pueros, ſeu alios: In hujus argumenti ſermone oſtendi poſſunt tres veritates, quæ illis, quibus hæc credita provincia eſt, ſublimem vocationis ſuæ exiſtimationem comparabunt.

1. Nihil eſſe præſtantius hoc charitatis officio, cum hoc fine exerceatur, illis videlicet præbendi, aut faciliora efficiendi ſalutis eorum ſubſidia. Hoc eſt fungi munere Apoſtolorum, quorum miniſterii hæc pars fuit potiſſima. Hoc eſt eleemoſynam facere magis præſtantem, magiſque acceptam Deo, quam quæ pauperibus erogatur, ut corporali eorum neceſſitati afferatur ſolatium. Zelus eſt, quo Deo operam noſtram præſtamus, qua Salvatori nihil fuit unquam antiquius. 2. Nihil hoc utilius, vel reipublicæ, vel Religioni, immo neque illi, qui, uti decet, hoc munere fungitur. 3. Nihil hoc aptius eſt, ut ad ſublimiorem ſanctitatis, & perfectionis apicem nos extollat.

1. Quam arcta, & inevitabilis ſit obligatio, qua III.
fidelis noſſe tenetur myſteria, & veritatis ſuæ Religionis, ac ſui ſtatus officia; ideoque ea diſcere. 2. Quam criminoſa, & inexcuſabilis ſit eorum officiorum, harumque veritatum ignorantia, cum eſſe nequeat invincibilis.

1. Quam noceat ſaluti ignorantia veritatum Fi- IV.
dei, inſtitutorum Religionis, & officiorum ſtatus noſtri. 2. Quam futiles ſint excuſationes, quæ afferuntur, vel quæ poſſent afferri, ut quis a neceſſitate ſeipſum de illis erudiendi diſpenſet. *La Pont, Propoſitione pro ſexta poſt Pentec. Dominica.*

1. Ignorantia alia eſt pœna peccati, quæ nobis V.
quidem eſt naturalis, ſed quam luminibus fidei expellere debemus officia noſtra edoceri curantes. 2. Alia eſt ignorantia, quæ peccatum eſt & pœna plurimorum peccatorum, quæ ex negligentia, vel improbitate noſtra procedit. 3. Alia ignorantia eſt excuſatio peccati, quæ videlicet invincibilis eſt; ſed alia quæcumque illud aggravat.

1. Numquam homines magis illuminati fuere, VI.
quam hoc ſæculo ſint, quo Ethnici erroris tenebræ jamjam ex univerſa terra diſſipatæ ſunt; quo ſæculorum omnium luminibus, & cognitionibus uti poſſumus, quo celeberrimi florent Evangelii præcones zelo, ac doctrina præditi; atque Doctores omni eruditionum genere inſtructiſſimi; quo penitiora Ethicæ Chriſtianæ adyta jam veſtigata ſunt, omneſque Theologiæ difficultates explanatæ: attamen homi-

BIBLIOTECA CENTRAL

num error, & ignorantia numquam gravior fuit in Chriſtianarum veritatum exercitio. 2. Oſtendendum eſt quid naturaliter ex veritate adeo comperta, atque explorata conſequatur. Primum; Chriſtianos nocentiores, magiſque inexcuſabiles eſſe iiſdem Ethnicis; non enim iis, quibus ſepti ſunt, luminibus utuntur, ut ſuam vitam inſtituant; ſed illis oculos claudunt, ut in voluntaria officiorum ſuorum ignorantia permaneant. Sequitur ſecundo, illos in hac quidem vita punitum iri omnimoda cæcitate, quod graviſſimum eſt divinæ juſtitiæ ſupplicium; in altera vero graviſſimis pœnis, poſtquam oculos aperuerint, & agnoverint errorem, atque ignorantiam, (Sap. 5.) in qua permanere voluerunt. *Ergo erravimus, & ſol intelligentiæ non luxit nobis.*

VII. 1. Officiorum noſtrorum ignorantia, cum de moribus, & religione ſermo eſt, nos iis omnibus privat bonis, quæ in lege gratiæ fuere promiſſa, luminibus fidei, donis Spiritus Sancti, omnibuſque gratiis ſupernaturalibus. 2. In nos omnia detrahit mala, quæ magis metuenda ſunt, dedecus, triſtitiam, vitæ hujus moleſtias, ac tandem pœnas omnes, atque ſupplicia alterius.

VIII. 1. Quænam adeſt ignorantia neque noxia, neque vituperabilis; earum videlicet rerum, quas ſcire non tenemur, quippe quæ procul a ſtatu, & profeſſione noſtra diſſentiunt; ubi late diſſeri poteſt de plurimarum ſcientiarum inutilitate, quæ minimum proſunt, ut meliores ſiamus. 2. Plurima ſunt, quæ ignorare magis expedit, quæ noſtræ tantum alendæ curioſitati, ac nobis ab officio avellendis inſerviunt. 3. Quædam noxia eſt ignorantia, earum ſcilicet rerum, quas ſcire tenemur, ut profeſſionis noſtræ muneribus rite perfungamur.

IX. 1. Quamvis quicumque peccat, ignorans eſt, juxta commune effatum; non tamen inde ſequitur quodlibet peccatum, peccatum eſſe ignorantiæ. Quamobrem poſtquam explicitum fuerit, quonam in ſenſu hoc intelligendum ſit, oſtendendum eſt; earum rerum, quas ſcire tenemur, inſcitiam, earumque percipiendarum incuriam particulare peccatum eſſe; peccatum cauſam plurimorum peccatorum, & præterea circumſtantiam, quæ efficit, ut peccata quæ per illam patrantur, graviora ſint, & minus venia digna. 2. Nihil prohibere poſſe ea mala, quorum ignorantia fons eſt, niſi doctrinam, quam, qui ſua ignorant officia, inquirere debent; & illi, quibus credita eſt populorum erudiendorum cura, quales ſunt Paſtores, iiſque omnes, qui ſalutis alienæ curam gerere debent, illis conferre arcta neceſſitate tenentur.

X. 1. Summa neceſſitas, quam plerique Fideles habent diſcendi officia, & munera ſua, cum tanta in mundo graſſetur ignorantia, ac tot mala pariat. 2. Magnitudo obligationis, qua illi, quibus aliorum cura commiſſa eſt, eos debent erudire; quandoquidem officii utriuſque negligentia criminoſa eſt coram Deo, & utrorumque parit damnationem, quin illi ſæpe ad id ne animum quidem advertant.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

(Sancti Patres.) SAnctus Auguſtinus, *lib. 22. de Civit.* oſtendit quanta cum ignorantia naſcamur, & quænam nobis remedia conferat Providentia contra tantum hoc mali.

Idem, *lib. 3. de libero arbitrio cap.* 19. reſpondet quæſtioni cur propter primorum patrum ſcelus cum tanta ignorantia, & difficultate bonum operandi naſcamur? *Et cap. 20. libri ejuſd.* hujus rei rationem adfert.

Idem, *lib. de Peccator. merit. cap.* 17. oſtendit quomodo ignorantia prohibeat, ne bonum fiat.

Idem, *lib. 3. de libero arbit. cap.* 22. docet quomodo, & quando ignorantia hominem excuſet a noxa.

Sanctus Hieronymus in epiſtola quadam ad Damaſum Papam, oſtendit illius Eccleſiaſtici indignitatem, qui muneris ſui neſcit officia, eaque negligit, ac tempus omne in rerum inutilium ſtudia tranſmittit.

Sanctus Gregorius, *lib. 27. Moral.* docet eum, qui rationis compos eſt, ignorare non poſſe, quid bene factum, quid ſecus fuerit, & quemlibet peccatorem a propria damnandum eſſe conſcientia.

Idem, *lib. 15. Moral.* in hæc verba Job: *Omnes vias ejus intelligere noluerunt*, oſtendit eos, qui affectata peccant ignorantia, neque coram Deo, neque coram hominibus excuſabiles eſſe.

Idem, *in Paſtoral. 1. par. cap.* 1. acriter invehitur contra Paſtorum inſcitiam, qui cum alios ducere teneantur, viam, qua eundum ſit, & ipſi ignorant.

Sanctus Ambroſius, *lib. 1. Offic. cap.* 26. docet, ignorantiæ, atque cæcitatis Ethnicorum cauſam inde profectam, quod in veritatis perquiſitione uſi non fuerint luminibus mentis ſuæ.

Idem, capite eodem, oſtendit non ſatis eſſe in perquirenda veritate laborare, ſed opus eſſe, ut vitæ noſtræ actiones luminibus, quæ nobis ſuppetunt, reſpondeant.

Idem ibidem, docet Philoſophos veteres contra ſua principia peccaſſe in veritatis perquiſitione.

Sanctus Bernardus, Sermonibus 35. & 36. in Cantica fuſius loquitur de noxia ignorantia, quæ vitanda eſt, & ſcientia neceſſaria, quæ eſt acquirenda.

Idem, vel potius collectio ex operibus illius, cui titulus, *Flores D. Bernardi* cap. 108. quæritur, utrum ignorantia ſit ſemper damnabilis.

Idem, *in Epiſtola 77. ad Ugonem de S. Victore*, ad examen revocat, ſtatuitque quando, & in quo peccari poſſit per ignorantiam.

Idem, *Serm. 35. in Cantic.* oſtendit ſuiipſius ignorantiam, & ſuimet cognoſcendi negligentiam ſexcentorum malorum eſſe cauſam.

Idem ibidem, oſtendit ignorantiam, qua & Deum, & noſmetipſos neſcimus, cauſam eſſe noſtræ damnationis, atque in nos Dei maledictionem trahere.

Idem, *De Aſcenſione Domini Serm. 6.* docet eo, quo ſumus tempore, de Fidei noſtræ myſteriis eruditi officiorum noſtrorum ignorantiam omni prætextu, & excuſatione carere.

Idem, *Serm. 22. ſuper Cantic.* oſtendit quomodo Filius Dei prædicatione ſua omnes ignorantiæ tenebras disjecerit.

Idem, *tract. de præcepto, & de diſpenſat. cap.* 12. docet quænam excuſet a peccato ignorantia, & quæ non item.

Sanctus Bernardinus, *Tom. 2. Serm.* 20. agit de cauſis ignorantiæ.

Granatenſis in præfatione partis alterius Catechiſmi ſui loquitur de plurimorum Fidelium ignorantia in iis, quæ ad Religionis ſuæ pertinent fundamenta. (Aſcetici, aliique.)

Bellarminus in Opuſculo ſeptem verborum, quæ in Cruce protulit Jeſus Chriſtus cap. 1. explicans hæc verba: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

In libro, qui inſcribitur: *Les Conduites de la Grace*, P. Antonii de Sancto Martino a Porta, parte ſecunda, ubi ſermo eſt de cauſis peccati, agitur etiam de omnibus ignorantiæ ſpeciebus.

Idem articulo ſequenti quærit, utrum fieri poſſit, ut aliquis invincibilem habeat naturalium præceptorum ignorantiam.

P. Haineuve, in libro de Ordine parte prima Sermone tertio, docet in fidelibus, qui negligunt edoceri, non tantum eſſe ignorantiæ, quantum improbitatis.

Liber, qui inſcribitur: *Guerre, aux Vices* 28. cum prælium eſt contra ignorantiam.

Gobinet libro, cui titulus: *L'Inſtruction de la jeuneſſe, par. 3. cap.* 1. oſtendit primum ſalutis obicem eſſe doctrinæ defectum.

Liber, cui titulus; *Sacra Catechiſmi Scientia*, docet, quomodo a Paſtoribus docendi ſunt populi, & a populis quærendum, ut edoceantur.

P. Paulus Segneri, in libro, qui inſcribitur; *Praxis officiorum Curatorum*, oſtendit, quomodo teneantur Paſtores erudire, quos Deus ipſorum credidit curæ.

Baudon libro, cui titulus: *Chriſtianus ignotus*, lib. 2. cap. 1. docet quanta ſit plurimorum Chriſtianorum ignorantia in iis, quæ ſpectant ad Religionis veritates, præſertim vero eorum, qui in pagis, agriſque degunt.

P. Camaret libro, cui titulus: Purus, perfectuſque Chriſtianiſmus. Tomo 2. cap. 3. ſect. 1. ubi ſermo eſt de ignorantia, quæ una eſt ex pœnis peccati originalis.

P. Texier in Adventu, cui titulus, Impius infelix, Sermone de Impio in Intellectu ſuo maledicto loquitur de ignorantia plerorumque fidelium in iis, quæ ad ſalutem pertinent.

Reina, *Conc. 24. in feriam 3. Domin.* 4. oſtendit tenebras, quæ terris incubuerant, & Divinarum veritatum ignorantiam, antequam Salvator naſceretur.

La Font Sermone pro ſexta Dominica pro Paſcha loquitur de omnibus ignorantiæ ſpeciebus, quæ peccatum excuſant, vel ſecus. Sed erronea eſt propoſitio

BIBLIOTECA CENTRAL

ſitio affirmare velle, quod ille facit, invincibilem juris naturalis ignorantiam a peccato non excuſare.

Sarazin, Sermone 1. Adventus, oſtendit neceſſitatem cognoſcendi Jeſum Chriſtum.

P. Duneau, Sermone pro Dominica quarta poſt Paſcha, docet Spiritum Sanctum veniſſe, ut omnem doceat veritatem contra peccatoris ignorantiam, & errores.

In libro, qui inſcribitur: *Eſſais de Sermons pour l'Avvent*, Sermone quarto, oſtenditur nobis ſatis eſſe cognitionis, ut noſtra ſciamus officia, & ſatis virium, ut iis perfungamur.

Non afferuntur hoc in loco Theologi Scholaſtici, neque Caſuiſtæ de ignorantia agentes; eos etiam prætermittimus, qui hujus argumenti collectanea ediderunt, quia hoc non diſtinxere a cæcitate, de qua alibi locuti ſumus.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

SI anima una neſciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo: & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inſcia peccaverit: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi. Numer. 15.

Immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 4. Regum, c. 17.

Quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Jobi 4.

Qui dixerunt Deo; Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Jobi 21.

Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Jobi 34.

Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa. Pſ. 57.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Pſal. 12.

Accedite ad eum, & illuminamini. Pſal. 33.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Pſalm. 24.

Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Pſal. 81.

Noluit intelligere ut bene ageret. Pſal. 35.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Pſal. 118.

Uſquequo imprudentes odibunt ſcientiam? Prov. 1.

Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi corruant. Proverb. 4.

Impius ignorat ſcientiam. Proverb. 29.

Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. Proverb. 19.

Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt. Sap. 13.

Viam autem Domini ignoravimus. Sap. 5.

Cor ſapientis quærit doctrinam: & os ſtultorum paſcitur imperitia. Prov. 15.

Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam; omnes in viam ſuam declinaverunt. Iſaiæ 56.

Filii nolentes audire legem Dei. Iſaiæ 30.

Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Iſaiæ 5.

Stultus populus meus me non cognovit. Jer. 4.

In dolo renuerunt ſcire me. Jerem. 9.

Quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. Baruch. 3.

Forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini. Jerem. 5.

Non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra. Oſee 4.

Non eſt ſcientia Dei in terra; maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Ibidem.

Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Matth. 15.

Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Oſee 4.

Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann. 1.

Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Joann. 17.

Tu es Magiſter in Iſrael; & hæc ignoras? Joan. 3.

Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Ibidem.

Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Luc. 19.

Ignorantiam Dei quidam habent. 1. ad Cor. 15.

Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. ad Cor. 2.

Si quis ignorat, ignorabitur. Ibid. c. 14.

Cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Ad Hebr. 5.

De tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. 1. Petri 2.

Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Sap. 5.

Veteris, Novique Teſtamenti Exempla.

PRimum hominis peccatum fuit ambitioſum, inordinatumque ſciendi, ac per ſcientiam hanc ſimilis efficiendi Deo deſiderium, juxta dæmonis conſilium, ejus curioſitatem verbis iſtis ſollicitantis: *Eritis ſicut dii, &c.* Ideo non poſtremum ex iis ſuppliciis, quæ divina juſtitia peccato inflixit, fuit ignorantia, qua nocentis hominis intellectum percuſſit. Hic autem mente reperire, quod Fides docet de beato innocentiæ ſtatu, in quo primus homo creatus fuit. Sapientiam habebat ſpiritui ſuo infuſam per ea lumina, quæ divina ubi effuderat ſapientia, tamquam tot ſimilitudinis ſuæ lineamenta: hunc luminum ſtatum cum ignorantiæ tenebris, in quibus verſamur cum in ſtatu peccati naſcimur, & quæ poſt Baptiſmum remanent adhuc in nobis, comparate. Verum quidem eſt reliquam adhuc in nobis eſſe aliquam uſus rationis ſcintillam, per quam homo factus fuit ad imaginem Dei; ſed non aliud eſt, quam ſcintilla jampridem, tamquam cineribus inſepulta. In infantia non magis lucet quam ſi omnino eſſet extincta; & nonniſi multo labore, ac ſtudio cum adoleſcimus, aliquot nobis comparamus cognitiones, quæ ſæpe inutiles ſunt, ut ſanctius vivamus. (Ignorantia, in qua naſcimur, pœna eſt ambitioſæ cupiditatis ſciendi, quæ fuit in primo homine.)

Primo parente ex felici ſtatu dilapſo, in quo Deus illum creaverat, ignorantia, quæ fuit peccati ejuſdem pœna, in ipſo uno non ſubſtitit; migravit etiam, ut omnes norunt, ad poſteros illius; ſed tenebris adeo denſis obſepta, ut prout homines a mundi primordiis recedebant, eorum creſcere ignorantia; ac lumen naturale, quod ex primo ſtatu adhuc in illis ſupererat, infirmaretur, euſque ut ipſum quoque univerſorum creatorem ignorarent, cujus ſatis erat opus inſpicere, ut potentiam, ſapientiam, bonitatem, & Opificis magnitudinem intelligerent. Verum eſt veri Dei cognitionem diu viguiſſe in populo, quem ſibi elegerat Deus; at ſi verum Deum cognoſcebat, illius cultum ignorabat, & omnino ferme oblitus fuerat legis naturalis, quam in omnibus cordibus Deum imprimere conſuevit. Moyſes, Legislator Altiſſimi eam in lege ſcripta deſcripſit, quam Dei nomine ad populum tulit; & nihilominus quoties queſtus eſt Deus de ignorantia, ac ſtupiditate carnalis populi, qui ad hunc quoque diem vivit ignorantia, ac deplorabili cæcitate poſt adeo manifeſta veritatis argumenta? (Ignorantia, ac ſtupiditas Judaici populi licet ille ſolus veri Dei cognitionem fuerit aſſecutus.)

In quem deplorabilem ſtatum omnem fere terrarum orbem, dum Ethicæ ſuperſtitionis tenebræ incumberent, ignorantia redegit? Etenim quin loquamur de populo, quem jure optimo omnia ſæcula rudem, ignarumque cenſuerunt; nonne mirum eſt videre dubitationes, incertitudines, diſceptationes, immo etiam ineptiſſimas nugas Philoſophorum, celeberrimorumque naturæ ingeniorum circa eas veritates, quæ maxime eſſentiales ſunt, & quæ hodierna die ſunt meridiana luce clariores; de Providentia, de animæ immortalitate, de bonorum poſt hujus vitæ mortalis curriculum præmiis, & malorum ſuppliciis? Quid dicam de monſtroſa multitudine idolorum, fictorumque numinum, quibus repletus erat mundus, & quorum ultra quadraginta millia in una Romana urbe numerata fuiſſe auctor eſt Auguſtinus? Quænam tenebrarum caligo! quam extrema ignorantia! quam prodigioſa cæcitas! Nonne dicendum eſt, ignorantiam in inſaniam uſque, & dementiam proceſſiſſe, ut in Deorum album referret homines flagitioſos, adulteros, inceſtos, crudeles, & ſcelerum omnium labe coinquinatiſſimos? ut res anima carentes, ſolem, & ſydera veneraretur? ut abjectiſſimis animantibus, ipſiſque inſectis divinos honores deferrent? verbo, ut omnibus ferme creatis rebus thus adolerent, quod uni Supremo Enti, a quo ex nihilo educta fuere, debetur? Nonne igitur indigebant mortales divino Inſtitutore, qui adeo graves errores diſcuteret, & qui per Fidem, & Religionem ab ipſo in mundo inſtitutam graviſſimas hujus caliginoſæ ignorantiæ tenebras diſſiparet? (Ethnicorum ignorantia.)

Ignorantia veritatum eſſentialis fidei, & præſertim divinitatis J. C. modo nequit excuſari.

Fidei lumina ſatis oſtendunt neceſſitatem, qua mortales omnes credere debent Hominem-Deum qui eſt Jeſus Chriſtus, eſſe præcipuum Religionis fundamentum, & nos ideo Chriſtianos eſſe, quatenus novimus veritatem hanc maximam, ſaluti noſtræ præ cæteris neceſſariam. Sed cum fides ſit in pleriſque quodammodo extincta, cumque ignorantiæ tenebræ ad ſummum in anima efficiam Jeſu Chriſti cognitionem prorſus imperfectam, & ſæpe etiam erroribus plenam, quam maxime intereſt rurſus divinam hanc facem accendere, eique priſtinum, verumque ſplendorem tribuere, ut omnibus tenebris, omnique errore ſublato, iis noſmet ſubjiciamus, quæ docet Religio; idque tanto magis, quia cum hujus articuli cognitio ſit abſolute neceſſaria ſaluti, ejus ignorantia inexcuſabilis eſſe non poteſt, niſi fortaſſe populis barbaris, quibus Evangelium, & Fides nondum annunciata fuere.

Cur Salvator duodecimum agens annum videri voluerit in medio doctorum.

Myſterio vacuum non eſt, quod Salvator duodecimum ætatis annum agens incœpit hominibus apparere in ea actione, quæ ſciti alicujus Doctoris erat, ut humanæ ignorantiæ tenebras diſſiparet. Eum nobis exhibet Evangeliſta ſedentem in cœtu doctorum, illos audientem, atque interrogantem de iis, quæ dixerant, non ut ab illis edoceretur, ſed ut illis occaſionem legis explicandæ præberet. Quemadmodum hic Homo-Deus in terras venerat, ut inde ignorantiam ejiceret, atque doceret homines, quomodo cognoſcendus Deus eſſet, eique ſerviendum; opus erat, ut primum ſcientiæ prorſus divinæ munus impenderetur illis erudiendis de veritatibus, quas ignorare non licebat. Si Evangeliſta ſingillatim nobis reliquiſſet quæſtiones a divino hoc puero propoſitas, eique traditas reſponſiones; proculdubio illas admiraremur, non ſecus ac, qui audierunt eas. Verum quoniam ipſe Deus non permiſit, ut illæ ad noſtram uſque cognitionem pervenirent; ex iis, quæ fecit, diſcamus, optimum acquiſitæ a nobis ſcientiæ uſum eſſe hanc aliis communicare; iis luminibus, quæ nobis contulit Deus, uti ad alios illuſtrandos, atque hac ratione pro Cœleſtis Patris gloria adlaborare.

Scribarum, & Phariſæorum ignorantia illos non excuſabat in iis, quæ contra Salvatorem peccabant.

Longe periculoſus eſt error defectus cognitionis, quam in noſtra ſitum eſt poteſtate acquirere, & credere, quod voluntaria, & adfectata ignorantia excuſet a crimine. Scribæ, & Phariſæi exempli cauſa, excuſabiles non erant iis in ſceleribus, quæ per ignorantiam patrabant. Nolebant conſulere Scripturas, atque Prophetas, nolebantque intueri miracula, quæ Salvator operabatur; & poſthæc ſexcentas in illum evomebant blaſphemias, illumque calumniis petebant: hæc illorum ignorantia culpane vacabat? an cauſa erat omnium ſcelerum, quæ ab ipſis perpetrabantur? Iſta Judæorum cæcitas ſæpe hoc tempore iteratur; etenim quot ſcelera parit ignorantia, quæ hoc pacto prætexitur? Quot uſurarios contractus? quot injuſtitias? quot obtrectationes, quot pravos conatos nobiſmetipſis hac ratione poſſumus excuſare? Hoc ipſum dici poteſt de Saulo, qui tanta rabie actus perſequebatur Eccleſiam, licet hoc per ignorantiam faceret, quia falſo correptus legis zelo, Scripturas conſulere negligebat, & ad examen vocare fidem eorum, quos preſequebatur, quemadmodum ille deinceps teſtatus eſt.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Cur Salvator in cruce oraverit pro perſequentibus ſe, & illorum ignorantiam excuſare voluerit.

Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt. Luc. 23. Si inanis eſt excuſatio, ſuam prætexere inſcitiam, cum voluntaria, vel adfectata eſt, cur Salvator de Cruce pendens, & jamjam animam efflaturus Patri ſuo inquit: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt?* Reſponderi poteſt, primum illum oraſſe pro carnificibus ſuis, qui probabiliter neque illius dignitatem, neque innocentiam cognoſcebant; & qui ſimpliciter ſententiam contra ipſum latam exequebantur. Procul dubio de illis dicere poterat: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*. At ſecundo pro nobis orabat, qui nondum eramus nati, vel pro innumeris peccatoribus, qui cum longe abeſſent a Jeruſalem, quid ibi fieret, neſciebant. Verum eſt dicere, nos licet cauſa fuerimus Paſſionis, & mortis ejus; neſciſſe tamen, quod malum tunc illi inferebamus. Denique ſi oratio ejus pro Judæis erat, qui illius aſtitere ſupplicio, & quibus nulla ſuppetebat dubitandi ratio, quiſnam eſſet ille, Meſſias ne, an homo juſtus, & innocens: hoc unum dici poteſt, quod videlicet cum charitate flagraret erge inimicos ſuos, pro virili eos excuſare ſtuduiſſet. Nam quamvis ignorantia, qualis in illis erat, non ſit axcuſatio admittenda; nihilominus ita aliquantulum criminis imminuebatur, quod longe majus fuiſſet, niſi illud aliqua concomitata fuiſſet inſcitia. Adhibuit ergo Salvator hanc rationem, ut illos excuſaret, quia peccatores amabat, & quia aliam potiorem nanciſci poſſe voluiſſet.

Populi permanent in ignorantia ſua, & intereunt, quia per paſtorum negligentiam non erudiuntur.

Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Iſaiæ 5. Populi ſcientia, atque intelligentia carent, ac fiunt affectuum, vitiorumque ſuorum mancipia, quia non erudiuntur, pereunt fame, quia nemo illis divini verbi panem frangit, cum interim Paſtores, quorum intereſt edocere illos, eos languere ſinunt in tenebris ignorantiæ, ubi fatali ſomno capti quieſcunt. Quænam infelicitas, ſi Paſtores ipſi negligant, vel etiam ignorent inevitabilia, quæ ipſis incumbunt officia, eos erudiendi! Ignorare ne poſſunt mala, quæ ex hoc inſtructionis defectu proficiſcuntur, & divinam ultionem, quam in ſeipſos convertunt, quod in cauſa ſint damnationis tot animarum?

Ignorantia hominem quodammodo brutis ſimilem facit.

Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſalm. 48. Profecto ſi jumenti naturam conſideremus, inveniemus creaturam eſſe corporalem, & materialem, cujus maxima perfectio, eſt ſenſibus eſſe præditum, ſeſe movere; cum interim nihil habeat ſpirituale, vel immortale. Neque mirum eſſe debet, ſi bruta homines fieri non poſſint; quandoquidem Deus illa rationis fecit expertia; ſed dolendum, & conquerendum eſt, quod homines fieri velint quodammodo bruta, & uti loquitur Scriptura, inſipientibus jumentis ſimiles, immo etiam magis ſtupidi, & contemptibiles, quam ipſa jumenta per voluntariam ignorantiam, quæ efficit ut quicumque Creatorem ſuum minime norit, pro bruto habendus ſit, ut S. Hieronymus ait: *Abſque notitia Creatoris ſui, omnis homo pecus eſt*. Et addi poteſt, brutis ipſis pejorem eſſe, quia neſcit quod ſcire & poteſt, & debet, cum bruta omnem habeant cognitionem illam, quæ ſuam decet naturam: *Homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Hæc enim ignorantia cauſa eſt, quod neque bonum a malo, neque virtutem a vitio, neque ſacrum a prophano diſtinguere ſciant; quod neſciant metuere Deum, quod Judicium, & infernum neque metuere, neque ſperare; neque ſupremum amare bonum, neque ſupremum odiſſe malum noverint. Hæc denique ignorantia in ipſis efficit ſpiritum adeo caliginoſum, & hebetem, ut neque cognoſcant, neque in pretio habeant, neque cupiant, neque petant bona cœleſtia, perinde ac pro iſta tantum terra facti fuiſſent, neque ullam vitæ alterius, æternarumque veritatum cognitionem haberent. Ullane major videri poteſt ſimilitudo cum jumentis, quæ præ cæteris magis ſtupida ſunt, & inſipientia?

Hierom. l. 2. Epiſt. Epiſt. 22.

Deplorabilis ſtatus in quem ignorantia Chriſtianiſmum redegit.

Dominus de Cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, &c. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Pſ. 13. Hic ſtatus eſt plurimorum hujus ævi Fidelium, qui ignorant, & fere numquam ſtudent iis, quæ pro ſalute ſcire debent. Quid prodeſt illis in divinæ Sapientiæ ſchola verſari, ſi numquam ſerio navant operam præceptis illius, ſi minime præbent aurem, ut doctrinam ejus audiant, atque de æternis veritatibus edoceantur; ſine quibus alia quælibet cognitio inutilis eſt? Deus, dicit Regius Propheta, de ſummo cœlo terra reſpicit, & neminem fere videt, qui ſciat, & hanc intelligat ſcientiam, quam ignorare Chriſtiano viro nefas eſt. Et utinam hac in urbe nullus eſſet Chriſtianus, ad quem pertineat exprobratio illa, qua olim Sanctus Paulinus ſcitum neſcio quem virum, doctum, diſertumque, ſed in iis, quæ ad ſalutem pertinent, rudem omnino, hoſpitemque exprobravit: Collegiſti, ajebat ille, omnes Poeſeos flores: *Floribus Poetarum ſpiras:* repletus es Oratorum omnium eloquentia: *Fontibus Oratorum inundas*. In Philoſophorum ſcientia verſaris; verbo, omne tempus, laboremque tuum tranſmiſiſti in humanis cognitionibus acquirendis: at numquam inveniſti ſpatium temporis, quo chriſtianis veritatibus ſtuderes; *Vacat tibi, ut ſis Philoſophus & non vacat, ut ſis Chriſtianus*. Inter nos proculdubio plurima eſt craſſa, & criminoſa ignorantia; quamplurimi enim negligunt operam dare principiis Fidei, & Evangelicis veritatibus ne animum quidem advertunt.

Plerique fidelium præferunt ignorantiæ tenebras lumini, & ſcientiæ Evangelii.

Dilexerunt magis tenebras, quam lucem. Jo. 3. Verum quidem eſt eos, qui ex fidelibus hodierna die minori lumine illuſtrati ſunt, ſapientiores ſapientiſſimis eſſe Philoſophis, quos jactat antiquitas; ſed ſi perpendantur flagitioſi mores plurimorum Chriſtifidelium, credere aliquis poſſet, nos adhuc inter Ethnicæ noctis tenebras verſari, vel ſaltem quemadmodum dilectus Jeſu Chriſti diſcipulus de Judæis dicebat, quos Dei Filius doctrinæ ſuæ lumine illuſtraverat, Ethnicæ ignorantiæ tenebras fulgidiſſimæ Evangelii luci præferri, & homines non magis illuminari, niſi ut ſint nocentiores. Verum eſto; non deſint Fideles, qui rudes, ignarique ſint, cum interim Deus tanta organorum utatur varietate, ut eos alloquatur, & qui in craſſa vivant ignorantia præcipuorum ſtatus ſui officiorum, atque eſſentialium fidei ſuæ veritatum. Hæc tamen ipſa ignorantia ſcelus eſt, quod iis omnibus addunt, quorum illa eſt cauſa; neque enim adeo criminoſum eſt, quam ignorare, quod neceſſario ſciendum eſt, cum tot ſuppetant erudiendi rationes. Hoc utique eſt diligere magis tenebras, quam lucem.

Fidelium ignorantia, non minor eſt ea, propter quam Dei Filius ſuper Jeruſalem flevit.

Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Luc. 19. Nonne jure hodierna die hos ipſos Salvatoris mundi ſenſus fovere poſſemus, lacrymaſque effundere ſuper pleraſque Fidelium urbes, quemadmodum ille Jeroſolymam intuitus lacrymis temperare non potuit? Chriſtianorum hujus ævi ignorantia non minus eſt deplorabilis, quam olim Judæorum. Jeruſalem vocata pacis viſio, ſe non minus tunc temporis fidelem exiſtimabat, quam hodie ſint Roma, aliæque Chriſtianitatis Civitates; ejuſque incolæ, qui ex electo erant populo, ſe filios lucis eſſe, quales nos ſumus, gloriabantur. Nihilominus Dei Filius madentibus lacrymarum imbre genis, Jeroſolymæ clamans dicit: *Si cognoviſſes & tu!* Sed quid cognoſcendum ſupererat huic civitati, ubi Sapientes, ſeniores, legiſque Doctores non deerant; ubi erat Templum, Arca Fœderis, Biblia ſacra, Propitiatorium, & Sanctuarium; ubi omnes divini cultus cæremoniæ ſervabantur; ubi quotidie vero Deo ſacrificia rite offerebantur? Attamen, *Si cognoviſſes!* Populi hujus ignorantia erat exteriori inhærere cortici, quin interiorem divini cultus ſpiritum penetrarent; non cognoſcere veritatem ſub tot figuris expreſſam; ſcire tantum cæremonias, myſteria vero, quæ per illas repræſentabantur, neſcire; corpus tantum, non autem ſpiritum Religionis habere. Verbo; Judæorum ignorantia fuit non cognoviſſe, & nondum cognoſcere Jeſum Chriſtum.

Joan. 1.

Sanctus Joannes Baptiſta ita illos exprobrat. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*. Illum in medio veſtri, & ob oculos veſtros habetis, neque cognoſcitis. Nonne hæc plurimorum Fidelium eſt ignorantia, qui Chriſtianæ Religionis extimum dumtaxat corticem, Sacramenta, Fidei Symbolum, quod quædam Jeſu Chriſti myſteria complectitur, norunt. Verum hoc non aliud eſt quam corpus, & cortex Chriſtianæ Religionis; interior vero pars, & ſpiritus ab illis ignoratur, vel niſi ignoratur, theoretice tantum ab illis cognoſcitur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

Melior eſt fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia. Aug. Serm. 20. de Verb. Apoſt.

Peſſimæ matris ignorantiæ, peſſimæ itidem quæ filiæ ſunt, ſcilicet falſitas & dubietas: illa miſerior, iſta miſerabilior, & pernicioſior. Idem, ibid.

Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras. Idem, lib. 3. de liber. arbit. cap. 19.

Nulli homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat. Idem, ibid.

Illud quod ignorans quiſque non recte facit, & quod recte volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Idem, ibidem.

Ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Idem, de peccatorum merit.

Non quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur ad reatum; ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facultati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit. Idem, de liber. Arbit. c. 22.

Per ignorantiam delinquens minus peccat, quam qui ex certa ſcientia, peccato tamen vulneratur. Idem, l. 1. de Bapt. c. 5.

Ideo divina præcepta data ſunt, ut homo de ignorantia excuſationem non habeat. Idem, l. de Grat. & liber. Arbit.

Poſt inſpirationem, & revelationem factam veritatis, qui in eo quod erraverat, perſeverat prudens & ſciens, ſine venia ignorantiæ peccat. Idem, lib. 4. de liber. Arbit.

Hæc eſt cauſa impietatis Chriſtianorum, quod videntur excuſare ſe de eo quod ignorant. Idem.

Tolerabilius eſt Deo quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quam cum elatione alta ſapere. Gregor. l. 17. Moral.

Cum ignorantiam noſtram cognoſcimus, levius aliena mala toleramus. Idem, l. 1. Moral.

Aliud eſt neſciiſſe, aliud ſcire noluiſſe, neſcit quippe qui apprehendere vult, & non valet; qui autem ut neſciret, aurem ab ore veritatis avertit, iſte non neſciens, ſed contemptor dicitur. Idem, l. 15. Moral.

Neſcire, ignorantia eſt; neſcire voluiſſe, ſuperbia. Idem, ibidem.

Quiſquis vult audita intelligere, feſtinet ea, quæ jam audire potuit, opere implere. Idem, Hom. 23. in Evangel.

Abſque notitia Creatoris ſui, omnis homo pecus eſt. Hieron. l. 2. Epiſt. Epiſt. 22.

Acuti ad vana, hebetes ad divina. Ambroſ.

Quæ mentis ignavia, quæ cæca dementia, ad lucem de tenebris non venire? Cypr. cont. Demetr.

Deus in aperto conſtitutus, tantis operibus notitiam ſui amavit. Tertullianus.

Animæ a primordio conſcientia Dei dos eſt, Deus numquam latebit. Ibidem.

Ubi populus ſui Paſtoris incuria ſpiritualem famem cœleſtis doctrinæ patitur, ibi eſt omnis pietatis & religionis exterminium. Chryſoſt. Homil. 54. in Geneſ.

Sicut Deum non licet contemnere, ſic non licet ignorare. Chryſologus in Sermonibus.

Nullus in culpa magis eſt, quam ille qui Deum neſcit. Iſidor. l. 2. Sentent.

Sunt qui non modo Dei, ſed & ſui ignorantiam habent, itaut neſciant ſe animam habere. Bernard. in Pſalm. 90.

Fruſtra ſibi de ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter ignorant. Idem, de Gradibus humilit.

Multa facienda neſciuntur, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut inquirendi verecundia, & quidem hujuſmodi ignorantia non habet excuſationem. Idem, in Epiſt.

Ignorantia ſui initium omnis peccati, ignorantia Dei conſummatio omnis peccati. Idem, ſuper Cantic.

Sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia itidem amor; ſic de crebra ignorantia tui ſuperbia, & de Dei ignorantia venit deſperatio. Idem, ibid.

Maledicetur homo, qui ignorantiam Dei habere inventus fueris; Dei dicam, an ſui? Utrumque ſine dubio; utraque ignorantia damnabilis eſt, & utraque ſufficit ad perditionem. Idem, Serm. 35. ſuper Cant.

Si ignoras Deum, poteritne ſpes eſſe ſalutis cum Dei ignorantia? Idem, ibid.

Noveris te, ut Deum timeas; noveris ipſum, ut æque ipſum diligas. Idem, ibid.

Tam utraque ignorantia cavenda eſt tibi, quam ſine timore, & amore Dei ſalus eſſe non poteſt. Idem, ibid.

Si nos ignorantia Dei tenet, quomodo ſperamus in eum, quem ignoramus? Idem, ibid.

De ignorantia tui venit ſuperbia, ac de Dei ignorantia venit deſperatio. Idem, ibid.

In his duobus mandatis, verbi ſcilicet & exempli, ſummam tui officii, ſed & conſcientiæ ſecuritatem pendere intellige. Idem, lib. 4. de Conſiderat.

Nullus prætexat, quod ignorans virtutem negligat; ſimul cum formatione hominis implantata eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum. Chryſ. Homil. 54. in Geneſ.

Horrenda quædam profunditas ignorantiæ. Auguſtinus, ſic vocat ignorantiam quæ ex peccato originali naſcitur.

Ultra neſcientur a Deo, qui Deum ſcire noluerunt. Idem.

PA-

BIBLIOTECA CENTRAL

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hoc in argumento valeat hauriri.

Antequam definiatur ignorantia quæ peccatum eſt, vel cauſa peccati, omnes illius ſpecies, & differentiæ ſunt cognoſcendæ.

Neceſſe non eſt hoc in loco generalem ignorantiæ definitionem afferre; nemo enim id ignorat, & hoc unum illud eſt, quod præ cæteris maxime cognoſcamus. Loquimur particulariter de earum cognitionum defectu, quæ reſpiciunt ſalutem, & obſervantiam officiorum noſtræ Religionis, ſtatuſque noſtri, verbo, eorum omnium, quæ ſcire tenemur, ut ſalutem conſequamur, & muneribus noſtris perfungamur. Ecce autem quid hac de re nos Theologi docent: ſine quo tuto de ignorantia, quæ vulgata eſt peccatorum, quæ patrantur, cauſa familiaris, loqui non poſſumus.

Quo in ſenſu intelligendum ſit quod omnis peccator eſt ignarus.

Axioma eſt deſumptum ex Ariſtotele libro ſexto Ethicorum, & a Theologis quoque adoptatum; hominem, qui peccat, ignarum eſſe; verum non adeo facile eſt affirmare, quo in ſenſu intelligenda ſit hæc adeo communis, & univerſe adeo probata ſententia. Ut bene intelligatur, ſcire oportet duplex eſſe ignorantiæ genus, quæ deinde in ſpecies plures ſubdividuntur; altera mere negativa eſt, & cognitionis defectus; veluti cum nos latet aliqua veritas: quo in ſenſu nemo eſt, qui non ignoret aliquam veritatem, tum quod cum minime ſtuduerit, plurima ignorat, quæ traduntur in ſcientiis; tum quod non deſunt veritates quædam mortalibus omnibus inexploratæ, quas nemo ſcire tenetur. Alterum vero ignorantiæ genus eſt, quæ poſitiva nuncupatur, & quæ proprie error eſt intellectus, cum de re aliqua aliter judicat ab eo, quod eſt; veluti ſi quis terram centuplo ſole majorem eſſe opinaretur. Nemo eſt, qui aliquando in judicio ſuo non fallatur. Unus tantum eſt Deus, qui falli nequeat, quemadmodum unus eſt, qui peccare non poteſt. Reſpondendum igitur eſt peccatorem quemlibet eſſe ignorantem, quia in errore eſt, & quia affectus aliquis ita illum excæcat, ut nonniſi imperfecte videat malum, quod vetito ineſt objecto, vel non conſideret modicum illud boni, quod ibi invenitur.

Notandum quoque cum Theologis eſt duplex aliud ignorantiæ genus inveniri; quarum altera invincibilis eſt, quæ peccatum excuſat; quia potius oritur ex mentis noſtræ infirmitate, quam ex improbitate voluntatis; altera noxia eſt, & criminoſa, cujus tres adhuc ſunt ſpecies; ignorantia videlicet craſſa, adfectata; & meræ nequitiæ. Craſſa eorum eſt ignorantia, Sanctus Bernardus ait, qui novis rebus, & inanibus curioſitatibus inquirendis vacant, interim rerum, quæ neceſſariæ ſunt, cognitionem negligentes; vel eorum qui per nefariam ignaviam laborem metuunt diſcendi, vel eorum tandem, quos de officiis ſuis pudet erudiri. Ignorantia hæc indirecte voluntaria eſt, quatenus operam navare nolunt ſuperandæ difficultati, quæ in ſcientiæ, & neceſſariæ cognitionis perquiſitione invenitur; vel quia eorum animum ab inanium, & inutilium rerum, quibus vacant, attentione divellere nolunt; quod eſt velle Chriſtiani hominis officia ignorare. Hoc ignorantiæ genus ſecum gerit quemdam reprobationis caracterem; Deus enim per Oſeam Prophetam Apoſtolumque Paulum profitetur, cum qui ſcientiam repulerit a Deo repellendum, & ignorantem eſſe ignorandum.

Oſee 4. & 1. ad Cor. 4.

Ambigendum non eſt, peccari per ignorantiam poſſe, & quænam ad id requiritur ignorantia.

Per ignorantiam peccari poſſe, certis Scripturarum teſtimoniis probatur. Scio equidem, Fratres, dicebat Judæis Sanctus Petrus illos ad pœnitentiam hortaturus, equidem ſcio, vos id per ignorantiam feciſſe; & Sanctus Paulus epiſtola prima ad Corinthios nonne dicit, futurum fuiſſe ut ſi Judæi Regem gloriæ cognoviſſent, numquam eo uſque crudelitatis evaderent, ut eum crucifigerent? Sed in eo tota ſita difficultas eſt, ut cognoſcamus, quodnam ignorantiæ genus ſit cauſa peccati. Qua in re ſciendum eſt adhuc, aliam antecedentem eſſe ignorantiam, aliam concomitantem, & aliam conſequentem, & poſteriorem voluntati. Prima vocatur antecedens, quæ omnem prævenit cognitionem, attentionem, deliberationem, rei, quæ accidit, diſcuſſionem, & cui voluntas, ſi illam prænoſcere potuiſſet, numquam præbuiſſet aſſenſum. Exempli gratia vir aliquis bonus, cui ſatis ineſt pietatis, atque conſcientiæ, itaut improbe factum numquam patraret, ſi illud improbum eſſe cognoſceret, vel etiam ſi de illius improbitate dubitaret, illud tamen committit, mentem nimis rudem habens, ita ut malum ejus cognoſcere nequeat: ignorantia hæc eſt antecedens, & ſuppoſita invincibilis; ideoque neque eſt, neque eſſe poteſt cauſa peccati.

Utrum juris, vel naturalium præceptorum ignorantia excuſet a peccato.

Quæſtio eſt hodierna die ſummo partium ſtudio agitata, utrum ignorantia vere invincibilis, (talis enim ſemper eſt ſupponenda) juris naturalis, hoc eſt naturalium præceptorum tranſgredientem hæc excuſet a crimine. Ut recte loquamur, omnemque vitemus errorem, qui hac in re poteſt occurrere, ſciendum eſt, præcepta, quæ naturalia dicuntur, a Theologis paſſim in triplicem claſſem diſtingui. Quædam primitiva ſunt, & univerſalia, quorum ſtatim cognitionem aſſequimur ex ſola, ſimplicique idea terminorum ea ſpiritui noſtro exhibentium, quale eſſet, aliis ea non facere, quæ nobis fieri nollemus: Alia non æque generalia ſunt, ſed immediate ex præcedentibus inferuntur, tamquam ex principiis concluſiones; qualia ſunt Decalogi mandata: Alia denique, ex iiſdem principiis eruuntur, & inferuntur per argumenta, vel ratiocinationes, ideoque remotiora, obſcurioraque ſunt, qualia ſunt pleraque præcepta, de quibus loquuntur Theologi. Primi ordinis præcepta, dicendum eſt, a nemine, qui per ætatem rationis habeat uſum, poſſe ignorari; generalia ſunt præcepta, atque univerſalia, in quibus, tamquam radicibus cætera continentur, & quæ Creator ita animabus noſtris inſculpſit, ut ea ignorare, & oblivioni tradere nequeamus, quin omnino rationis jacturam faciamus; ideoque dubitationi locus eſſe non poteſt, quominus horum præceptorum prævaricatio nefaria ſit, & inexcuſabilis. At enim non deſunt populi adeo rudes, & barbari, ut nullam habeant vel divinitatis, vel legis naturalis cognitionem; & non aliam legem, niſi affectuum ſuorum impetum ſequantur: Hoc ſi verum eſt, mortales hujuſmodi adſcribendi ſunt inſipientibus, vel pueris, qui cum rationis uſu careant, non ſunt obnoxii peccato. Quod ſi fieri poſſit, ut cum rationis uſu invincibilem habeant primorum principiorum ignorantiam, quod vix aliquis perſuadeat; abſolute pronunciari poteſt, hoc peccare non poſſe, juxta illud Sancti Auguſtini effatum pro generali canone conſtituentis, invincibilem ignorantiam legitimam eſſe excuſationem, ut nobis peccatum non adſcribatur: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.*

Quod ſpectat ad ordinis alterius principia, probabile eſt aliquem ad tempus, non autem ſemper, habere poſſe ignorantiam involuntariam, & invincibilem. Hæc eſt S. Thomæ doctrina, cujus ratio eſt, quia fieri non poteſt, ut aliquis ſaltem aliquo vitæ ſuæ tempore, tunc præſertim cum vitium nondum radices agit diuturni habitus, ut ex cognitione, ex. gr. generalis hujus principii, quod ex ſe adeo manifeſtum eſt, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, non inferat, *ergo nemini vitam auferre debeo, neminem contumeliis proſcindere, neque bona, quæ ad alium ſpectant, eripere*: cum iſta concluſio palam adeo pateat, ut quantumvis parum illi advertatur animus, ex ſe ferme inde inferatur. Sed quod ad tertii ordinis præcepta ſpectat, eorum haberi poteſt ignorantia, cui mederi nonniſi doctrina poteſt, quæ ſi haberi non poſſit, ignorantiam efficit invincibilem. Exempli gratia ex hoc adeo late patenti principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, difficile inferri poteſt: *ergo fornicatio eſt evitanda*, niſi, quod illic obſcurum, & quodammodo involutum eſt, longa ratiocinatione, cui non omnes pares ſunt, evolvatur.

1. 2. Quæſt. 94. art. 4. & 6.

Quid reſpondendum locis Auguſtini, quem putant nonnulli cenſuiſſe invincibilem juris naturalis ignorantiam non excuſare a peccato.

Quoad Sancti Auguſtini auctoritatem, cujus plurimi afferuntur loci, ubi putant nonnulli, ipſum docuiſſe, quod naturalium præceptorum ignorantia minime prohibeat, quominus quidquid contra id genus præcepta peccatur, verum peccatum ſit, quia ignorantia hæc eſt pœna peccati, quod in Adæ perſona commiſimus: reſponderi poteſt, 1. Sanctum Auguſtinum eumdem quoddam ſtatuiſſe principium, unde prorſus oppoſitum infertur; videlicet, nihil eorum nobis vitio verti, quæ per invincibilem ignorantiam patramus: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis inquirere quod ignoras.* Neque juris naturalis excipit ignorantiam, alioquin pueri, qui nondum rationis uſum aſſecuti ſunt, & inſipientes, qui illius jacturam fecerunt, peccarent; quia hæc juris naturalis ignorantia in illis æque ac in aliis hominibus pœna eſt peccati parentum noſtrorum. 2. Liquido conſtat ex pluribus locis, qui ab hoc Patre afferuntur, ſermonem eſſe de jure divino poſitivo, cujus invincibilis ignorantia vitio verti non poteſt. 3. Reſpondendum eſt, ignorantiam hanc non prohibere, quominus hæc peccata ſint tantummodo materialia.

Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 19.

BIBLIOTECA CENTRAL

Peccatores cæci, & indurati a peccato excuſari non poſſunt.

A peccato excuſari non poſſunt illi ex numero fidelium, qui longe peccatorum quorumdam conſuetudine ita excæcati ſunt, ut peccantes, ſe peccare minime animadvertant; alioquin iterando peccata fierent quodammodo impeccabiles, & quotidie ſcelera ſceleribus agglomerando bonum illud acquirerent, quod juſtiſſimus quiſque virtutum magis heroicarum praxi nequit obtinere. Cæci igitur peccatores peccant, etiamſi defectus conſiderationis in ipſis criminibus quædam ſit ſpecies ignorantiæ. Et ratio eſt, quod hæc ignorantia voluntaria eſt in cauſa ſua, præterquamquod minime eſt invincibilis. Nam quamvis aliud quodvis deeſſet illis ſubſidium, ut violentæ habitus, quo trahuntur, inclinationi reſiſterent; non deeſt illis unquam gratia orationis, cujus ope emergere poſſunt ex miſerrimo hoc ſtatu, & validiores obtinere gratias ad habitum ipſum infringendum, & peccati conſuetudinem relinquendam.

Neque illi excuſari poſſunt, qui voluntarie ignorant veritates ſaluti neceſſarias.

Neque excuſari a peccato poſſunt, qui voluntarie præcipuas fidei veritates ignorant, eas vero præſertim, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſariæ: qui neque ea ſciunt, quæ credenda ſunt, neque Dei præcepta, quæ ſunt obſervanda; qui negligunt Verbum Dei, ſanctas Lectiones, vel familiares inſtructiones, veriti ne ibi ſua doceantur officia, ut aſſertam hanc prætexere valeant ignorantiam, ne ea teneantur obire. Hinc inveniuntur mortales quidam, qui per voluntariam ignorantiam facti ſunt brutis ipſis ſimiles, qui adeo parum afficiuntur iis, quæ ad æternam eorum ſalutem pertinent, & ad officia, quæ Deo ſuo debent præſtare, ut neque orare, neque Creatorem ſuum colere norint; & quidam etiam adſunt, qui dubitant, utrum anima ſua ſit immortalis, & utrum poſt hanc altera vita ſuperſit. Tanta eſt eorum ſtupiditas, ut neque ipſa Dei beneficia cognoſcant, neque Deo pro illis, quibus quotidie cumulantur, gratias agere norint. Illud vero maxime mirum eſt, quod homines ignari, atque in mundi hujus negotiis periti in iis, quæ ad Deum pertinent, & quæ unice intereſt ſcire, ignari ſint, hebeteſque, ut Sanctus Ambroſius inquit. *Acuti ad vana, hebetes ad divina.* Hi autem mortales in Dei judicio ſeſe excuſare poterunt, voluntariam prætexentes inſcitiam?

Vera cauſa ignorantiæ, in qua vivunt plerique Fidelium.

Ex iis, quæ a nobis dicta ſunt, ſequitur, ex malis omnibus, atque vitæ hujus infelicitatibus non minimum eſſe ignorantiam earum rerum, quæ a nobis ſciendæ ſunt, ut chriſtiane ſancteque vivamus eo in ſtatu, ad quem nos Providentia evocavit, quia ibi nemo ſalvus fieri poteſt, quin ejus expleat officia, & quin iis perfungatur muneribus, quæ ſtatui eidem inhærent. Quomodo vero hæc poſſunt cognoſci, niſi de illis erudiamur, niſi illis ſtudeamus, eaque ſerio meditemur? Dicunt ſe hæc a teneris uſque unguiculis didiciſſe, hæc prima eſſe rudimenta, quibus formatur pueritia, antequam etiam rationis uſum obtineat. Sed hæc fortaſſe cauſa eſt ignorantiæ illius, in qua provectiori ætate, & ſæpe etiam in omnem reliquum vitæ ſpatium verſantur. In ipſa infantia memoriter diſcimus præcipuos fidei noſtræ articulos, & hoc ſatis eſſe putamus; cumque per ætatem illos meditari poſſumus, eorum neceſſitatem concipere, eoſque iterum iterumque reputare, quemadmodum Deus in lege veteri fieri jubebat; illos minime recolentes animo in tanta vivimus ignorantia, quanta ſi numquam eos didiciſſemus.

Quid fidelis non ignorare teneatur.

Plurima ſunt in Religione Chriſtiana, quæ ſcire, & ſcrutari mortales non tenentur: immo non deſunt ibidem myſteria impenetrabilia, ad quæ mens humana aſſurgere nequit; & demum quædam ſunt, quæ non ſine periculo poſſunt inveſtigari, ubi permittit Deus, ut ſpiritus nimis curioſi divinæ majeſtatis pondere opprimantur, ut loquitur Sanctus Paulus: *Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloria.* Sed non deſunt etiam veritates, & myſteria, quæ abſolute neceſſarium eſt fidelem ſcire, ut ſalutem ſuam operetur. 1. Hæc myſteria ſunt, Dei unitas in Trinitate perſonarum, Verbi incarnatio; æterna felicitas Juſtorum, poſt hanc vitam remuneratio, & infernus eorum pœna, qui in lethali peccato moriuntur; extremum Judicium, in quo omnes homines aliquando ſunt judicandi. 2. Callere debet Dei, Eccleſiæque præcepta, hæc enim lex eſt, juxta quam ſe vitam traducturum recepit. Ad hæc ſcire debet, præcepta hæc violari poſſe non actionibus ſolum, verum etiam deſideriis, & conſenſu, qui pravis cogitationibus præbetur. Scire etiam debet numerum Sacramentorum, & eorum recipiendorum modum, fidei, bonorumque operum neceſſitatem, virtutum exercendarum rationem, & Chriſtianæ Religionis dogmata, quæ ſi ignorentur, quomodonam vitam homine Chriſtiano dignam ducere poterit?

Concomitans ignorantia ea eſt, quæ actionem concomitatur, & quæ in eventu ſuo fallit operantem, cum aliquid accidit præter mentem, atque expectationem, ſed quod probatur, & error ipſe placet: exempli gratia quidam venatu feram interficere ratus inimicum interficit, qui fortuito vulnus excipit, & ad quem venator ſpicula contorquens animum minime adverterat. Hactenus peccatum nondum patratum eſt, at ſi poſtquam errorem agnovit ſuum, quin inopinatus hic caſus mœrorem, doloremque adferat interfectori; lætatur immo quod inimicum ſuſtulerit: profecto inopinatus hic effectus voluntarius cenſendus non eſt; at neque omnino involuntarius; voluntas enim quin doleat facto, ſibi complacet, & lætitia perfunditur. Hoc efficit, ut ignorantia, quæ innocens, & quodammodo invincibilis eſt in principio, voluntaria, & nocens fiat in effectu, qui probatur, & placet.

Denique ignorantia alia eſt conſequens, & poſterior, quæ ex tacita, atque interpretativa voluntatis confeſſione reputatur voluntaria, quia ſibi poterat, cura, & diligentia ab illa cavere. Mala autem, quæ per hanc ignorantiam committimus, quam prævenire, & evitare poteramus, voluntaria quoque in fonte, & radice ſua fuiſſe cenſentur; ideoque vera peccata ſunt, quæ nobis vitio vertuntur.

Alia ignorantiæ diviſio in juris, factique ignorantiam.

Præter hæc adeſt quoque invincibilis facti ignorantia, ſicut adeſt invincibilis juris ignorantia. Hæc ſupponit, legem, contra quam agimus, nobis ignotam eſſe, eamque nos cognoſcere non potuiſſe; illa vero, rem, vel peculiare de quo agitur factum, ignorari. Qui, exempli gratia, in excommunicationem incidit, neque id novit propter juris ignorantiam, non eſt quocumque modo reus; qui vero Sacerdotem percuſſit, illum Sacerdotem eſſe neſciens, per facti ignorantiam nonniſi a circumſtantiæ hujus gravitate excuſatur. Alia denique ignorantia eſt, quam judicii gignit depravatio, cum aliquis ita ſuo inhæret ſenſui, atque ita ſuæ opinionis eſt tenax, ut minime velit illam abjicere, neque hunc mentis errorem ſibi auferri patiatur. Ignorantia hæc, quæ potius pertinacia eſt appellanda, vel cæcitas mentis, ſemper criminoſa eſt; cum enim agitur de lege, præcepto, opinione, quæ ad ſalutem, moreſque pertinet, univerſalem ſenſum tenemur ſequi, neque arbitrari, nos cæteris omnibus mentis acumine antecellere.

Utrum officiorum noſtrorum ignorantia ſit peculiare peccatum.

Dubitari rationabiliter poteſt, utrum rerum ignorantia, quas noſſe tenemur, ut prudenter, & religioſe in actione aliqua noſmet geramus, ut peculiare peccatum ab eo diſtinctum, cujus cauſa eſt hæc ignorantia. Negativam partem Doctores paſſim propugnant; dicunt enim peccata ex habituum, & virtutum illis oppoſitarum qualitate metiri; At non liquet, ignorantiam alicui termino opponi, præterquam ſcientiæ, vel cognitioni, quæ inter morales virtutes locum non obtinet. Nulla igitur ratio eſt, propter quam ex ignorantia ratione ipſius naturæ peccatum fiat. Ita vulgo dicunt ignorantiam non eſſe vitium. Sed quamvis hæc vera ſint, affirmare poſſumus actualem rerum, quarum cognitionem proprius ſingulorum ſtatus, & conditio neceſſario flagitat, ignorantiam proprium eſſe, & peculiare peccatum oppoſitum curæ, & mentis attentioni, quæ eſt adhibenda iis rebus, quæ ad noſtrum pertinent munus, ut de iis erudiamur, quæ neceſſario tenenda ſunt, & ut rite eodem perfungamur: ita ut oſcitanter, & perfunctorie tantum illis vacare, peccatum ſit peculiare, & ab aliis diſtinctum.

Diſcrimen inter peccata ignorantiæ, infirmitatis, & nequitiæ.

Omnia peccata, ut proprie loquamur, non ſunt peccata ignorantiæ, licet ſemper illis aliqua inſit ignorantia; non ſecus ac non omnia ſunt fragilitatis, nec omnia nequitiæ peccata. Ignorantiæ peccatum proprie dicitur, ea neſcire, quæ tenemur ſcire, veluti ſi quis Dei, vel Eccleſiæ præcepta ignorat, quæ de illis erudiri neglexit; quorum aliquid ſi fuerit tranſgreſſus, tranſgreſſio hæc ignorantiæ peccatum vocabitur, quia ignorantia fuit illius cauſa peccati. Peccata fragilitatis ea ſunt, quæ committuntur vi alicujus affectus judicium perturbantis, ac terrentis, inſtar voluntatem humanam rapientis, licet hæc abſolute illi reſiſtere valeat, & ſatis ſe peccare cognoſcat. Peccata vero meræ nequitiæ ſunt illa, quæ data opera, conſulto, & ſola voluntatis im-